



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**David**

**Mazarini, Giulio**

**Venetia, 1607**

Clemens Papa VIII. Ad futuram rei memoriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52609](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52609)

# CLEMENS PAPA VIII.

## Ad futuram rei memoriam.

**V**M, sicut accepimus, dilecti filij deputati Congregationis Assumptæ in Ecclesia Societatis I E S V de Vrbe quoddam opus vulgariter nuncupatum, Cento Discorsi del P. Giulio Mazarini della Compagnia del G I E S V sopra il Salmo cinquantesimo di Dauide, typis cudi fecerint, illudquæ in lucem edere intendant, vereanturque ne postquam in lucem prodierit, alij, qui ex alieno labore lucrum quærunt, hoc ipsum opus typis cudi curent in dictorum Deputatorum damnum, & præiudicium. Nos igitur eorum indemnitati prospicere, eosque specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, prædictæ Congregationis Deputatis, vt Decennio proximo à primæua dicti operis (dummodo antea à Magistro Sacri Palatii approbatum sit) impressione computando durante, nemo tam in vrbe, quam in vniuerso statu nostro Ecclesiastico mediatè, vel immediatè nobis subiecto opus supradictum sine speciali eiusdem Congregationis Deputatorum, & pro ea dilecti filij Aloysij Zannetti in dicta Vrbe Bibliopole, aut eius hæredum, & successorum, vel ab eo, & eis causam habentium licentia imprimere, aut ab alio, vel alijs sine huiusmodi licentia impressum vendere, aut venale habere, seu proponere possit, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus. Inhibentes propterea Vniuersis, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, præsertim librorum Impressoribus, & Bibliopolis sub quingentorum ducatorum auri de Camera, & amissionis librorum, & typorum omnium, pro vna Camera nostræ Apostolicæ, ac pro alia eidem Aloysio, seu illius hæredibus, & successoribus, aut ab eo, vel eis causam habentibus, ac pro reliqua tertijs partibus Accusatori, & Iudici irremissibiliter applicandis, & eo ipso incurrendis pœnis, ne dicto durante decennio opus supradictum, aut quamlibet illius partem, tam in magno, quam in paruo folio, etiam prætextu declarationum, siue additionum, tam in Vrbe, quàm in reliquo statu Ecclesiastico prædictis sine huiusmodi licentia imprimere, aut ab alijs impressum vendere, aut venale habere quoquo modo audeant, seu præsumant. Mandantes dilectis filijs nostris, & Apostolicæ Sedis de latere Legatis, seu eorum Vicelegatis, aut Præsidentibus, Gubernatoribus, Prætoribus, & alijs Iustitiæ Ministris Prouinciarum, Ciuitatum, & Locorum status nostri Ecclesiastici prædicti, quatenus eidem Aloysio, eiusque hæredibus, & successoribus, aut ab eis causam habentibus huiusmodi in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, quandoeunque ab eodem Aloysio, seu alijs prædictis fuerint requisiti pœnas prædictas contra quoscunque inobedientes irremissibiliter exequantur. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & quibusuis statutis, & consuetudinibus & iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis, cæterisque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis etiam in ipso opere impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xv. Iunii  
MDCI. Pontificatus nostri Anno Decimo.

M. Vestrius Barbianus.

TA.